

Hermann Becker

**Rectore Acad. Magnificentissimo Serenissimo Principe Ac Domino Domino  
Friderico Dvce Megapolitano ... Festvm Qvadragesimale Vera Poenitentia  
Sanctificandvm Commendat, Ac Simvl De Stationibvs Passionalibvs  
Rostochiensibvs Dissertit**

Rostochii: Typis J. J. Adleri, [1750?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn876763913>

Druck Freier  Zugang



Quaf. 1750



T. 512.

—  
1750 Fasten

~~M. 1256~~ 306

X3

1765

Febr. 1750.

13

RECTORE ACAD. MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE  
AC DOMINO

**DOMINO FRIDERICO**

DVCE MEGAPOLITANO

PRINCIPE VANDALORVM SVERINI AC RACEBYRGI

COMITE SVERINENSI TERRARVM ROSTOCHIENSIS

STARGARDIAE DOMINO

PRINCIPE AC DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO.



FESTVM

**QVADRAGESIMALE**

VERA

POENITENTIA SANCTIFICANDVM

COMMENDAT,

AC SIMVL

DE STATIONIBVS PASSIONALIBVS ROSTOCHIENSIBVS

DISSERIT

**HERMANNVS BECKER,**

LL. DOCT. ET INSTIT. P. P. O. SENAT.

ACADEM. h. t. PRO-RECTOR.



ROSTOCHII

Typis J. J. ADLERI, SEREN. PRINC. AVL. ET ACAD. TYP.

1750.

**P**eruersam, & innumeris peccatis corruptam mortalium naturam, propter maximum in exequendis bonis torporem, & propriam quasi hominibus, in DEO rite colendo, segnitiam, ecclesiam requirere quandam externam, ut eo magis ad DEUM toto corde amplectendum, frequentibus pietatis exercitiis, tardum excitaretur ingenium humanum, docent omnes, qui naturam ecclesiae in se consideratam sedulo perpendunt. (a) Consistit autem ea, si verum eius conceptum formare velimus, & a partium studio alieni, veram a falsa decernere laboremus, in societate quadam aequali, ad excolendum DEI verum, & attributis diuinis consentaneum cultum, ordine conueniente colligata. (b) Societatem hinc quia constituit, quae sine legibus esse non potest, in externa quoque hac ecclesia leges requiruntur, quo finis propositus faciliori ratione obtineri possit. Pari & simili itaque modo, sicuti regula illa generalis docet, quod salus societatis suprema lex sit, & principium quoddam vniuersale omnium legum, in societate obuientium, salus quoque ecclesiae supremam constituit legem ecclesiasticam, ex qua, tanquam principio primo, omnes particulares, si genuinae sunt, deducuntur constitutiones, & in illam rursus resolvuntur. (c) Societas autem haec ecclesiastica, licet externa sit, & in corpus quoddam civile coalescens; in eo tamen differt a reliquis societatibus, ut non ad instar harum, huius solum vitae curet commodum, sed internam potius animorum emendationem, & actiones solius DEI gratia suscipiendas, pro scopo habeat principali, licet quoque ut finem secundarium & coniunctum, propter naturam civilis vniuersitatis accedentem, quietem exigat externam, & non interruptam membrorum unionem. Salus enim societatis, in eo consistens, ut quae in conceptu eius rite formato deprehenduntur, existentiam nanciscantur, eaque ex ratione & principali membrorum coeuntium intentione dimensuranda, in relatione ad ecclesiam, non uti iudicat Flörckius (d) in sola eius externa felicitate, sed potius, solide hoc docente Boehmero (e) in fine interno, & spiritali consistit, ac exinde, et vera animarum ad fidem saluificam manu- ductione praecipue determinanda manet. Non respuit quidem haec eccle-

(a) Kenffel: in elem. iurispr. eccles. vniu. L. I. cap. 1. § 1. (b) Nettelbladt in syst. vniu. iurispr. nat. T. II. § 618. Pertsch. in elem. iur. can. ¶ prot. eccles. L. I. §. 49. (c) Boehm. in diss. praef. de suprema lege ecclesiastica iur. eccles. pros. praem. §. 4. (d) in praenot. iurispr. eccl. § 15. (e) l. c. § 10.

ecclesiae interna salus, & finis membrorum ecclesiae in corpus quoddam coalescentium principalis, externam tranquillitatem, commoda & bona temporalia, ac salutem reipublicae efflorescentem, sed ad eam maiorem potius felicitatis gradum peruenit, quando externa salus cum interna coniuncta deprehenditur, immo tanquam donum DEI, maxima reuerentia amplectendum veneratur florem hunc externum: (f) sed ruere nihilo tamen minus, atque corruere debet ecclesiastica societas, si neglecto fine interno, & vera manu ductione ad pietatem, & immaculatam aeternae salutis viam, florentissimus licet ciuilibus commodis esset eius status externus. Deserunt itaque a veritatis tramite, qui in determinandis legibus ecclesiasticis ad tranquillitatem solum externam, ordinem, decorum, aliaque commoda, externum religionis statum respicientia attendunt. Sed maiorem adhuc errorem committunt, multo magis ecclesiae noxii iudicandi, qui non externam solum respiciunt salutem, sed eam quoque praeterea in potentia, diuitiis, hierarchia absoluta, & clericorum dominatu ponere satagunt. In ipso enim ecclesiae bono promouendo, perniciem eius, et ruinam parant ineuitabilem, ac religionem sibi colendam propositam, pedibus conculcant, & opprimunt, dum cryptam moliuntur illis maxime perniciosam, qui coeco feruore corrupti, in sese committunt. Attendamus modo, quae so, ad hierarchiam papalem, in pontificiorum ecclesia obtinentem. Concinne eam adumbrat, atque viuus depingit coloribus Vir celeberrimus, Puffendorffius. (g) Vna & vnica haec catholica ecclesia absolutam & simpliciter talem, in formulis externis & adia phoris requirit vnionem, hincque summum exigit imperantem, qui in forma reipublicae monarchica, aut ad minimum aristocratica (h) omnia mox tollere possit fulmine suo schismata. Huius potentiae, dominatui, atque potestati omnes subordinant, accom modantque ecclesiasticas constitutiones, & re penitus perspecta, in eius commodo promouendo, omnem & totam quaerunt ecclesiae felicitatem. Ad administrandam autem, & dirigendam hanc hierarchiam, in partes sollicitudinis vocat Pontifex ille maximus clericorum varii generis, cui mox hanc, mox aliam committit imperii partem. Immo quo magis illius interest, vt potestas cooperantium horum promoueatur, eo magis quoque eorum dominatum, diuitias,

(f) *conf. Keuff. l. c. §. 16.* (g) *in tr. maximi pretii von der geistl. Monarchie des Stuhls zu Rom.* (h) *quam cum Gallis, & omnibus episcoporum defensoribus, defendit Marc. Anton. de Dominis, de rep. eccles.*

tias, & auctoritatem in ordinandis curat ecclesiasticis. Hinc absoluta originem trahit conscientiarum coactio, hinc coeca illa obedientia, a laicis, ouium instar, praestanda, (i) hinc varii ritus, & externae solemnitates maxime abundantes, quibus cultus eorum diuinus externus fere totus occupatus deprehenditur. Non quidem contemnendi sunt ritus, & ceremoniae externae, tanquam signa eorum, quorum in executione propositi meminisse debemus (k) rationi maxime conformia, & in ecclesiasticis quoque ea ex ratione necessaria, quia ordinem, ceu arbitrium determinant. (l) Sed sicuti ex vna parte, nec nimis parci in ordine determinando esse debemus, ita & peccant ex altera parte, qui nimis indulgent illi, & misso vero ac adaequato ecclesiae fine, totam fere religionem in eo ponunt. (m) Meditemur modo molem ceremoniarum in liturgia pontificiorum occurrentium, quae omnes, introducta illa clericorum subordinatione, maiori & obedientia, introductoque sensim ac sensim presbyterorum, archipresbyterorum, episcoporum, archiepiscoporum, metropolitanorum, patriarcharum, & denique pontificis imperio, in ecclesia natales habebant, & sic, si verum fateri liceat, fastui eorum originem debent suam. Perbelle simplicitatem, maximo tamen ordine determinatam, primitiuae ecclesiae apostolicae describit Pfaffius (n) quando cultum, cui tunc vocabatur, in enunciatione verbi diuini, simplice illa, qualis in sermonibus apostolicis conspicitur, atque in nullam formam artis fusa, in precibus, in institutione, in admonitionibus, in reprehensionibus, in lectionibus, in cantationibus, in coena sanctiore, & agapis, quae omnia osculo sancto, communionis indice, clauderentur, constituisse recenset. Sed plane diuersam, & aliam ecclesiae faciem, docente eodem (o) nobis sistit historia saeculi secundi iam, & tertii, quibus temporibus, auctis externis ritibus, laudandus quoque christianorum feruor religiosus quodammodo iam deseruescebat, eoque magis sequiori tempore degenerabat, quo maiores, quo plures, cultum occupabant externum, ceremoniae & solemnitates. Exempli instar, reliquis missis, iam pro praesenti scopo sufficiat ad sola respicere ieiunia, & cum illis primo coniunctam, postea confusam, abstinentiam. (p) Variis quidem modis haec distinguuntur ieiunia, quae tamen distinctiones omnes facili redignantur negotio ad vniuersalem illam, quod sint vel priuata & libera, vel ecclesiastica, quae publica sunt, & necessaria, & aut per modum poe-

(i) *Petr. de Marca. de concord. sacer. & imp. cap. 8 § 1.* (k) *Nestelbl. l. c. T. I. §. 116.* (l) *Pertsch. l. c. L. I. § 5.* (m) *Pertsch. l. c.* (n) *in orig. iur. eccles. cap. 2. art. 2.* (o) *l. c. cap. 3. art. 3.* (p) *Pertsch. l. c. L. 2. §. 593 in not.*

nitentiae, aut per obseruantiam iniunguntur ecclesiasticam (q) & mox, quando ad nonam vsque horam ab exortu solis, h. e. tertiam pomeridianam, mox ad vesperam vsque perducuntur, stationes audiunt, aut simpliciter ieiunia. (r) Ad hanc vltimam speciem quoque referunt ieiunium quadragesimale, siue ante paschale, quod ab Irenaei iamiam tempore, variante licet spatio determinato, in ecclesia obtinuisse, ex scriptoribus ecclesiasticis pluribus docet Pfaffius. (s) Accedebant in sex postremis ieiunii antepaschalis diebus xerophagiae, quibus panem duntaxat, cum sale & aqua, ad sedendam famem adhibebant, & denique in ipso illo die, quo celebratur memoria crucis & passionis Christi, proprie sic dicta carena, Magis quidem in se laudandum, quam vituperandum erat hoc primitiuae ecclesiae institutum, animos Christianorum ad veram sanctificationem festi paschatos praeparans, & ad piam memoriam Christi, in deserto ieiunantis, tendens, dum libera omnibus manebat voluntas, nec libertas christiana per necessariam iugulabatur impositionem. (t) Postquam autem sequiori aeuo per modum praecepti imponebatur, & ad opera meritoria, per se, & in sua natura sancta, referebatur, in superstitionem degenerabat abominandam. Idem & illud multo magis iudicium ferre licet, de stationibus passionibus, quorum frequentatione, ipso die celebrationi passionis nostri saluatoris sacro, ieiunium hocce quadragesimale solemni pompa concludere sive ecclesia pontificiorum, superstitiosis traditionibus iam conspurcata. Sic enim illo ipso die, ab atrio ecclesiae cathedralis, vsque ad locum publicae delinquentium executioni destinatum eriguntur, aut iam erecta existant signa atque imagines, passionem Christi, saluatoris nostri dulcissimi repraesentantes, secundum ordinem actuum, qui in ipsis victimis huius nostri saluatoris se inuicem excipiunt. Exprimuntur illa signa, quae a certa dimensionatione spatii, quo a se inuicem distant, stationum nomine veniunt passionum, mox per typum crucis, mox autem per monumenta lapidea, quibus haec vel illa pars historiae passionis insignurata. Et obligatur quilibet Christianorum, qui meritorum opus suscipere cupit, & remissionem peccatorum quaerit, statim finitis vigiliis matutinis, ad instar peregrinatorum ecclesiasticorum, iter suscipere sacrum, & praeeunte aut ipso episcopo, aut officiali, clero stipato, in qualibet statione preces fundere in dyptichis ecclesiasticis hunc in finem praescriptis, ac denique ad

(q) *Perssch. l.c.* (r) *Pfaff. l.c. not. r. p. 159. ibiq. cit. Beuereg.* (s) *Pfaff. l.c.* (t) *id. l.c. p. 162*



ultimam progrediens stationem, cultumque diuinum consuetum ibi celebrans, benedictionem exspectare clericorum, remissionem peccatorum procurantem. Referunt hanc pontificiorum liturgiam minus solemnem in locis, vbi hierarchia papalis in pleno suo vigore adhuc hodie deprehenditur, & nostris temporibus, cum passionibus stationibus adductis, consuetam, varii ceremoniarum ecclesiasticarum compilatores, quos iam euoluere, & specificis locis adlegare, penuria prohibet temporis. Perducit me autem huius liturgiæ recensio, si coniecturis indulgere liceat, ad eam sententiam, quod ad eius reliquias referam monumenta illa passionalia, quae in nostra vrbe, & suburbio, hinc inde in signis lapideis deprehenduntur. Mentionem eorum iam faciunt annales historiae litterariae Rostochiensis, sub rubro des *Etwas von gelehrten Rostochischen Sachen*, a duumviris nostris maximi nominis, & inter eruditos nostros celebratissimis, publicati, (v) sed finem eorum silentio praetermittunt. An vera an falsa sit mea coniectura supra adducta, aliis iudicandum quidem relinquo, sed liceat tamen mihi, quasdam eius addere rationes, quae si forsitan leues, & minus excultae, vt mihi B. L. ignoscere velit temporis angustiam, est quod enixe rogo. Sic enim primo omnium hanc coniecturam suadet fama vulgaris, in ipsis illis annalibus iam adducta, quod inter signa passionalia, quae in dormitorio, piis defunctorum reliquiis ad aedem D. Petri destinato, inueniuntur, & monumentum lapideum ad portam petrinam prope in confiniis vrbis, & vici vicini Bartelsdorf erectum, signoque crucis notatum, aequale intercedat interstitium cum eo, quod olim in ipsa vrbe sancta inter praetorium Pilati, & montem Golgatha erat. Coincidit cum hac relatione & altera, quasi & idem illud interstitium haec monumenta, in dormitorio Petrino obuientia, & aliam crucem lapideam ante portas, a ponte lapideo, vulgo, das *Steinthur*, dictas, exstructam intercedat. Accedit & alterum argumentum exinde deductum, quod nulla inter hasce scilicet duas relationes occurrat contradictio. Docet enim historia patria, prisca temporibus ante accessionem alterae vrbis partis, quae sub denominatione der *Neustadt* venit, obtinentibus, aedem D. Petri ecclesiam fuisse, vt ita dicere liceat, cathedralem, die *Hauptkirche*. Numerabant hinc forsitan maiores nostri, pontificiorum castris additi, stationes hasce passionales ab hac ecclesia vsque ad locum executionibus publicis, tunc temporis, ante portas petrinas destinatum, quo venit, quod

(v) in anno 1739. p. 533.

quod crux illa lapidea ibidem erigeretur. Addunt huic coniecturae porro aliquid ponderis, ipsa illa verba, in cruce illa annotata. *Bidde toh West, unde dade = Gnade von Gade.* Mox autem altera parte urbis addita, & curia quoque in illam translata, propter signa iam semel erecta, initium harum stationum manebat dormitorium petrinum, sed mutato loco executionis, & ad portas lapideas propter viciniam curiae, translato, eadem illa spatia, easdem stationes passionales ad hunc transferebant locum, unde & ultima statio in signo crucis ibidem reperto, erigebatur. Nec minus aliquam hisce meis coniecturis adferre potest probabilitatem, denominatio plateae illius angustae, quae a foro veteris urbis ad novam partem, illiusque curiam ducit, & sub nomine *der armen Sünden-Strasse* vulgo venit. Nec obstare videtur ratio illa etymologica, quod origo huius denominationis potius a ductu publico delinquentium ad locum iudicii criminalis deducenda veniat. Eandem enim viam & occupare solent stationes passionales. Magis adhuc confirmat hanc meam sententiam, progressus horum monumentorum passionum, quae hic loci deprehenduntur, per intermissa spatia ab vno actu passionis ad alterum. Sic enim prima tabula, quae in dormitorio deprehenditur petrino, ipsum sistit praetorium Pontii Pilati. Mox altera dat imaginem saluatoris nostri, crucem in publico comaeu ferentis. Vltimum denique, quod suadet hanc coniecturam, argumentum, se fundat in relatione illa vulgari, quae similes tales tabulas, & olim in ipso publicae curiae pilastro, & in ipsis portis, *beym Steinhof*, existisse refert. Adhuc adhuc alia argumenta, quae tamen nondum satis inuestigata, pro hac vice mittere lubet. In nudis quidem coniecturis consistunt, quae adducta sunt, sed tales coniecturas in deducendis antiquitatum argumentis adhibere, quid impedit? in primis dum alius harum tabularum finis haec tamen nondum adparet. Ad reliquias hinc papales, & documenta religionis pontificiae, quae olim nostram occupabat patriam, refero haec monumenta, quorum usus & finis in se consideratus, nullam quidem reprehensionem meretur, sed mox per impositum imperium, & superstitionem coactionem adhibitam, in prohibitum degenerabat abusum, & abominabilem. Iam diuina fauente gratia, cooperante nostro reformatore Lutero, liberata est ecclesia protestantium ab onere & iugo illo, quo contra mentem nostri saluatoris libertas quondam iugulabatur Christiana. Reductam iam ad saniora, & vero ecclesiae fini magis conformia principia, colimus religionem, quae ignorat in totum & reicit, sicut in genere omnia, ita & hoc legale & meritorium ieiunium

nium quadragesimale. (x) Et licet per obseruantiam ac liturgiã  
 nobis consuetam per denominationem *der Fasten - Zeit* analogum  
 quoddam adhuc iniungatur, tamen, sicuti admodum concinne do-  
 cet *Perrschius*, non tam ad deuotionem instillandam, quam ad  
 tollenda impedimenta, debitae praeparationi ad celebrandum fe-  
 stum passionis nostri saluatoris, & debito cultui diuino, noxia ten-  
 dit, nec abscisse ieiunantes requirit, & abstinentes, sed potius pre-  
 ces sacras. & abstinentiam a negotiis, in se quidem indifferentibus,  
 sed piam tamen meditationem salutiferae redemptionis, turbanti-  
 bus, exigit. Cum itaque verum Christiani officium praesenti tem-  
 pore, hoc festum anniversarium pie celebrandum, nobis iniungit,  
 & ad exercitium poenitentiae ex dominica passione deducendum,  
 nos monet, non possum non, C. A. O., quin pro officii publici ra-  
 tione VOS iterum ad meditationes sacras *Gerhardi* (y) remittam,  
 illiusque verbis ad verum poenitentiae exercitium admoneam,  
 quando ita docet: "Confidera fidelis anima flagrantissimam DEI  
 ,,tram: Deprecator erat factus post primi parentis lapsum aeternus  
 ,,ipius, & vnigenitus, & vnice dilectus filius, nondum tamen auer-  
 ,,sus furor eius, intercedebat is, per quem condidit saecula, & mise-  
 ,,rorum caussam in se recipiebat summus ille salutis nostrae advo-  
 ,,catus, nondum tamen auersus furor eius. Carne sibi induit sal-  
 ,,uator, vt diuinitatis gloria carni communicata peccatricem car-  
 ,,nem expiaret, vt vis medica iustitiae perfectae carni communi-  
 ,,cata, venenatam peccati qualitatem in nostra carne haerentem  
 ,,extergeret, & carni nostrae gratia obtingeret, nondum tamen  
 ,,auersus furor eius. Peccata & peccatorum merita in se transfert:  
 ,,corpus ligatur, caeditur, vulneratur, configitur, crucifigitur, in se-  
 ,,pulcrum deponitur: sanguis copiose instar roris per omnia patien-  
 ,,tis membra profluit: sanctissima anima supra modum contristatur,  
 ,,immo vsque ad mortem tristis est: doloribus inferni subiicitur:  
 ,,derelinqui se a Deo clamat aeternus Dei filius: tantam sanguinei  
 ,,sudoris copiam profundit, tantos angores persentiscit, vt angeli  
 ,,confortatione indigeat, qui angelos omnes confortat; moritur qui  
 ,,omnibus viuentibus vitae dator. Quid fiet in arido ligno, si hoc  
 ,,fit in viridi? - - Audiamus carissimi clamantem, audiamus lacrymantem.  
 ,,clamat de cruce. Vide homo, quae pro te patior, ad te clamo, quia pro te mo-  
 ,,rior: vide poenas, quibus afficio: vide clauos, quibus confodior: non est do-  
 ,,lor, sicut quo crucior; cum sit tantus dolor exterior, interior planctus est gra-  
 ,,uior, cum te tam ingratum experior. Miserere, miserere nostri miserator  
 ,,vnice, & saxeæ nostræ corda ad te conuerte."

(x) *Perrsch. l. c. L. 2 §. 596.* (y) *medir. 2.*

P. P. sub sigillo Academico  
 ipsa Dom. Quinquag. d. 8. Febr. MDCCL





quod crux illa lapidea ibidem erigeretur. Addunt huic coniecturam porro aliquid ponderis, ipsa illa verba, in cruce illa annotata. *toß Werk, unde dade = = Gnade von Gade.* Mox autem altera parte urbis addita, & curia quoque in illam translata, per signa iam semel erecta, initium harum stationum manebat dormitorium petrinum, sed mutato loco executionis, & ad portam deas propter viciniam curiae, translato, eadem illa spatia, & stationes passionales ad hunc transferebant locum, unde & stationis in signo crucis ibidem reperto, erigebatur. Nec minus quam hisce meis coniecturis adferre potest probabilitatem, de statione plateae illius angustae, quae a foro veteris urbis ad r. partem, illiusque curiam ducit, & sub nomine *der armen Straß* vulgo venit. Nec obstare videtur ratio illa etymologica, quod origo huius denominationis potius a ductu publico, & stationum ad locum iudicii criminalis deducenda veniat. Eadem enim viam & occupare solent stationes passionales. Magis confirmat hanc meam sententiam, progressus horum monumentorum passionum, quae hic loci deprehenduntur, per inter spatia ab vno actu passionis ad alterum. Sic enim prima tabula quae in dormitorio deprehenditur petrinum, ipsum sistit praeterea Pontii Pilati. Mox altera dat imaginem saluatoris nostri, crucem in publico comitatu ferentis. Vltimum denique, quod sistit hanc coniecturam, argumentum, se fundat in relatione ad tabulam vulgari, quae similes tales tabulas, & olim in ipso publicae executionis pilastro, & in ipsis portis, bey *m Steinthor*, existuisse. Adfunt adhuc alia argumenta, quae tamen nondum satis instructa sunt, pro hac vice mittere lubet. In nudis quidem coniecturis consistunt, quae adducta sunt, sed tales coniecturas in deducendo argumentis adhibere, quid impedit? in primis dum huiusmodi tabularum finis hactenus nondum adparet. Ad reliqua hinc papales, & documenta religionis pontificiae, quae olim hanc viam occupabat patriam, refero haec monumenta, quorum vltimus finis in se consideratus, nullam quidem reprehensionem meam, sed mox per impositum imperium, & superstitiosam coactionem adhibitam, in prohibitum degenerabat abusum, & abominabile. Iam diuina fauente gratia, cooperante nostro reformatore Lutero liberata est ecclesia protestantium ab onere & iugo illo, quod trahebat mentem nostri saluatoris libertas quondam iugulabatur. Reductam iam ad saniora, & vero ecclesiae fini magis conformia principia, colimus religionem, quae ignorat in totum non existit, sicut in genere omnia, ita & hoc legale & meritorium

